

QUÆSTIO XIX.

Quare cum D. Petrus dicat, quod Iudei per ignorantiam occiderent Christum, eos tamen ad penitentiam exhortatur?

116. At D. Petrus in presenti numer. 17. & 19. Et nunc scio, fratres, quia per ignorantiam fecistis, sicut & Principes vestri; penitentiam igitur, & convertemini. Nam multum videtur Petrus sibi constare; nam si ignorantia manus armavit ad execrabile scelus, ipsa excusat à culpa, ad quid ergo penitentia?

117. Judæi Christum Dominum occiderunt ex odio, & invidia juxta illud Matth. 21. num. 38. Hic est haeres, venite occidamus eum, & habebimus hereditatem ejus. Occidunt ex invidia, ignorantes tamen, cum ignorantia quamvis crassa, & affectata, tamen ex inde aliquantulum minuitur culpa, ut cum communi sententia dixi supra exposui 8. num. 93. O præclara, & excelsa peritia Philosophia, o alta, & illustris peritia mendendi, ut eos ad penitentiam, ac contritionem abducatur, non grandia crimina objicit quibus terreat, sed aliquales excusationis colores intexit; quibus inescati offensam agnoscentes ad penitentiam deveniant, & salutem allequantur. Liranus. Dulciter eos alloquitur, ut verbum ejus magis recipiant, scio quia per ignorantiam fecistis. Crimini offensam temperat, ac levat, ut fidenter veniant penitentes, doleantque de culpa, & inde dulciter eos alloquitur.

118. Cum Joseph tenens clavum totius Ægypti esset agnitus à fratribus suis, illi maximo timere correpti, ne ob tanta in eum perpetrata crimina ulcisceretur, qui eum cogitantes interficere, captivum, ut servum vendiderunt in Ægyptum; tunc eos alloquitur Joseph Genes. 45. num. 8. & ait: Non vestro consilio: sed Dei voluntate huc missus sum. Chaldeus: Nunc non vos me missis huc, sed à Deo missus sum, suam venditionem non appellat venditionem, sed missionem à Deo, ut ita mitigato, ac excusato crimine, utpote re ex alta Dei permissione ordinata, & venia assecuta, & nullum malum foret timendum, cum non venditio, sed missio ex Consilio Dei fuerit. D. Chrysost. ibi Vide quomodo illos consolatur dicens, ne sibi ipsis adscriberem causam sui ingressus in Ægyptum, sed Deum hoc fecisse sciant, & ita se in hanc venisse gloriam. Oleaster. Ubique nititur eorum malum opus excusare.

119. In ultima hora, tanquam in suo ultimo discessu loquens Christus Dominus cum suis Apostolis ait eis: Filii adhuc modicum vobiscum sum Ioan. 13. num. 33. sæpe Christus verba faciens cum discipulis suis, eos dicit filios tanquam teneros; at nunc filiolos appellat parvulos, ac infirmos, ut notavit Rupertus ad dictum locum; & ait: Uno eodemque nomine paternam sui amoris gratiam, & infirmam tunc temporis Apostolorum designavit. Infantiam. Cur ergo tunc temporis infirmos, ac puellulos prævidit suâ scientiâ quod ipsi Apostoli in illa nocte adversus erant prolapsuri, nam Derelicto eo omnes fugerunt, & ut eis Dominus dixit: Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Inde Dominus eorum imbecillitatem attenuans, & excusans eos dicit puellulos, & infirmos, ut ipsi postea cum multa conscientia ad eum accedant, cum eorum infirmitas ipsi Domino bene nota esset, cum eos tanquam parvulos, & infirmos bene novetat, & ita filiolos appellaverat.

De sancto Rege Iosia loquens Ecclesiasticus cap. 49. num. 3. ait: Ipse directus divinitus in panem.

120. Eccl. 49.

121. Attenuata culpa spes veria. D. Chrysost.

122. Oleaster.

123. Rupertus. Christus suos Apostolos filios dicit eos excusans.

124. De sancto Rege Iosia loquens Ecclesiasticus cap. 49. num. 3. ait: Ipse directus divinitus in panem.

125. De sancto Rege Iosia loquens Ecclesiasticus cap. 49. num. 3. ait: Ipse directus divinitus in panem.

126. De sancto Rege Iosia loquens Ecclesiasticus cap. 49. num. 3. ait: Ipse directus divinitus in panem.

127. De sancto Rege Iosia loquens Ecclesiasticus cap. 49. num. 3. ait: Ipse directus divinitus in panem.

128. De sancto Rege Iosia loquens Ecclesiasticus cap. 49. num. 3. ait: Ipse directus divinitus in panem.

129. De sancto Rege Iosia loquens Ecclesiasticus cap. 49. num. 3. ait: Ipse directus divinitus in panem.

130. De sancto Rege Iosia loquens Ecclesiasticus cap. 49. num. 3. ait: Ipse directus divinitus in panem.

tiam gentis. Quæ verba sic legit Vatabl. Ille in populo reformando dexteritate usus est, & abominabiles impietates sustulit. Ut impietas auferatur non gladio, & ferro, sed sagacitate urendum, ut impij ad penitentiam reducantur, ut docet D. Aug. epist. 64. Non ergo asperè quantum existimo, non duriter, non modo imperioso ista tolluntur, magis docendo quam jubendo, magis monendo, quam minando, & si quid minatur cum dolore fiat de scripturis, comminando vindictam futuram, ne nos ipsi in nostra potestate, sed Deus ipse in nostro sermone timeatur.

QUÆSTIO XX.

Quare dicitur quod Christus sit in Cælo usque in diem iudicii, cum sæpe apparerit in terris?

EX his verbis: Quem oportet Cælum suscipere usque in tempora restitutionis, scilicet iudicii. Perperam Berengarius, Calvinus, Beza contra presentiam Christi in Sacramento Eucharistiæ, tanquam si Christus clausus in Cælo sit, indeque non valeat exire; aperte errant hæretici; nam D. Petrus loquitur de presentia Christi naturali, & extensa, qua caput est in una parte, brachia in alia, qua ipse Apostolus, alique discipuli viderunt Christum ascendentem in Cælum, cujus rei ipsi testes sunt: cap. 1. num. 32. & 33. & sedet ad dexteram Patris Marc. ultimo Presentia Christi in Eucharistiâ est valde diversa, est enim ibi Christus Dominus indivisibiliter, & invisibiliter positus, totus in tota hostiâ, & totus in qualibet minima parte hostiæ, ut tenet Catholica fides, ut latè ostendi to. 5. in Evangel. lib. 7. cap. 7. per totum.

Cum autem dicatur de Christo: Quem oportet Cælum suscipere usque ad tempora restitutionis, scilicet iudicii, quomodo hoc potest stare cum hoc quod ipse multoties apparuerit in terris, ut in conversione D. Pauli Actor. 9. num. 4. & quod apparet esset Christus, aperte indicant illa verba: Ego sum Jesus quem tu persequeris. Etiam Divo Petro; nam cum ipse exiret à carcere rogatu aliquorum Christianorum ut fugeret, apparuit ei Christus, & interroganti Petro: Domine quo vadis? respondit ipse: Venio iterum crucifigi, ex quo intellexit Apostolus Christi voluntatem esse, ut ipse mortem Crucis sustineret, rediit in carcerem, & mortem Crucis sustinuit. Idem etiam tenet communis sententia, quod in obitu Sanctissimæ Virginis Mariæ, Christus de Cælo descendit, & cum ea rursus gloriosè ascendit: ex multis magnis historiis constat, quod Christus multis præclarissimis sanctis apparuit, ut nostris Sancto Angelo, Alberto, Theresiæ, & Magdalena de Pazi.

Respondent aliqui primò quod Christus D. potuit apparere corpore aëreo, vel imaginario, ut Deus, & Angeli apparebant Patribus Antiquis, sed multa est diversa ratio; quia Deus, & Angeli sunt meriti spiritus, & non possunt se exhibere humanis oculis, nisi in aliquo corpore assumpto: At Christus D. cum sit verus homo, habet verum corpus, quo se potest exhibere videndum, nec illud, quod dicitur de Visione imaginaria potest subsistere, quia sæpe ex tali apparitione Christi resultat aliquod donum externum, ut Beato Francisco Stygmata, S. Catharinæ, & S. Mariæ Magdalena de Pazi annulus in digito. In hac re duo dicendi modi valde probabiles.

Primus, quod postquàm Christus Dominus ascendit in

121. Hæretici Presentia Christi in Eucharistiâ. Actor. 9. Marc. 16.

122. Christus sæpe apparuit.

123. Visio imaginaria resistitur.

124.

125.

126.

127.

in Cælum, per breve aliquod tempus apparuit in terra; in cælo autem est tanquam in regno, ac throno suo, in quo tanquam in proprio suo domicilio se omnibus Beatis cum multa gloria exhibet videndum, cum quo stat non esse necessarium, quod ibi semper immobilis persistat. Ita docet D. Thom. 1. p. q. 57. art. 6. Caiet. & alii.

Alter dicendi modus est: Ex tempore, quo Christus cælum ascendit nunquam ab eo recessisse, sed semper per realem, & extensivam sui presentiam se exhibuisse videndum; Nam divina virtute fieri potest, ut unum corpus sit in duobus locis per sui reproductionem, ut factum legimus cum D. Antonio Ulyssiponensi, & Sancto Francisco Xaverio, ita fieri potuit, ut Christus existens in Cælo per sui reproductionem apparuerit in terris ad suos servos, v.g. Petrum, & Paulum, honorandos: at vero cum Beata virgine ascendente in cælum, pro tanta Domina glorificanda, ipse Christus è suo throno descendit, & excepit, ac secum sedere fecit. Vide etiam Suarez tom. 2. ad tertiam partem disp. 1. sect. 4. Disputant etiam hic aliqui, an aliquando Deo permittente animæ, quæ sunt in Cælo, Purgatorio, vel Inferno veniant ad nos? Post varias sententias quæstionem latè tractavi in Opusculis opuscul. 2. resol. 43. & partem affirmativam secutus sum quæstione 4.

Acto 3. n. 2. Moyses quidem dixit: Quoniam Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris, tanquam me ipsum audietis juxta omnia, quæcumque locutus fuerit vobis.

Num. 23. Erit autem: omnis anima quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur de plebe.

Num. 24. Et omnes Prophetæ à Samuele, & deinceps annuntiaverunt dies istos.

VERSIONES.

Arabic. n. 22. Similem mei Prophetam.

Syriac. n. 23. Peribit anima illa de populo, & extirpetur.

Ethiopic. Extermina eam à populo.

Arabicus. Quæ non obtemperabit.

Num. 24. Prædicant dies istos.

EXPOSITIO X.

126. Vers. 22. Moyses quidem dixit: ad confirmandam superiorem doctrinam de Christo D. adducit D. Petrus Scripturas Prophetarum, ut fecit in superioribus duabus Concionibus, & ex multis Prophetis unum Moysen tanquam principalem citat Deuter. 18. n. 1. & hunc de Christo citat etiam D. Steph. infra Actor. 7. ut valde expressus, Quoniam Prophetam quem Dominus Deus vester, ut Dominus Deus vester per suam multam misericordiam, ac pietatem dabit vobis tanquam me, Moyses Legislator veteris Testamenti, Christus vero Novi,

127. Vers. 23. Erit autem omnis anima, ponitur principalis pars pro toto, qui non auferit Prophetam illum legem Evangelicam promulgantem Exterminabitur, Syriacus Extirpetur de populo suo; nempe de cætu, ac congregatione Sanctorum.

128. Vers. 24. Et omnes Prophetæ à Samuele, & deinceps, & quamvis antea multi fuerint, qui locuti

sunt de Christo D. tamen ponitur à Samuele; quia sub ejus temporibus inceperunt Reges Israel, & Juda, quibus regnantibus multi Prophetæ floruerunt, qui luce meridiana clarius locuti sunt de Christo ut David; de quo ait D. August. ad Psalm. 21. potius videretur Evangelista, quam Propheta, & Ifaias, de quo scribit D. Hieronymus potius videretur Evangelista, quam Propheta.

QUÆSTIO XXI.

Quare Moyses prophetavit de Christo esse Prophetam similem?

Citat D. Petrus de Christo testimonium Moysis, Deuter. 18. n. 15. Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies. Ubi ad litteram juxta communem sententiam loquitur de Christo; & quamvis Abulensis in Numer. cap. 11. quæst. 64. negat Christum fuisse Prophetam quia de ratione Prophetæ est cognitio obscura, tamen contraria sententia est vera, Christus fuit verè Propheta Luc. 7. num. 16. Prophetam magnum surrexit in nobis, Luc. 24. n. 19. Fuit vir Prophetæ: ad Prophetam non requiritur cognitio obscura, sed potius, ut rem prophetizantem cognoscat in aliquo sensu, idè dicebantur videntes, & hac de causa Balaam, & Caiphas non sunt Prophetæ, quia non intelligebant Mytheria, quæ sub eorum verbis continebantur, ut ex D. Thom. 2. 2. quæst. 173. artic. 4. Notavi in Opusculis, opuscul. 1. Resolut. quæst. 8. n. 102. 103.

Et dicitur: Prophetam suscitabit vobis, sicut me. Arabicus similem mei ex Græco etiam legitur illum Prophetam, per excellentiam, illum supremum, ac magnum Prophetam, qui in multis fuit similis Moysi. Primo D. August. lib. 16. contra Faustum D. August. cap. 15. quia sicut similis Moyses fuit Legislator veteris Testamenti, sic & Christus Novi, Secundo, Aliqua similitudine.

Christus homines de servitute peccati, ac Dæmonis, liberavit, & in libertatem dedit. Tertio Moyses introduxit homines in terram promissionis, Christus in Cælum. Quarto Moyses, & Christus multa miracula fecerunt, multasque plagas inflixerunt, ille in Pharaonem, hic in Dæmones. Quinto Moyses præ nimia charitate desiderabat mori pro populo, Christus vero non solum desideravit, sed in effectu durissimam mortem sustinuit pro humani generis salute.

Et ait: De gente tua, de fratribus tuis, ut eos magis alliciat ad Christum recipiendum, & auscultandum: Nam ut ait Cassiodorus lib. 3. variat. Unusquisque velut naturæ pondere, amore, ac affectu in suam gentem propendit, & tanquam cum ipsa natura bibitur illa affectio, cum quibus educatur, loquitur, ac conversatione contrahit à sua pueritia.

Cum puer Centuriani infirmaret, per Seniores Iudeorum mittens rogat ad Jesum, ut veniens sanaret servum ejus, qui Seniores accedentes ad Jesum rogabant eum, ut veniret, & sanaret puerum ejus, & dicunt; quia dignus est, ut hoc illi præstet, diligit gentem nostram, & Synagogam ipsam edificavit nobis, Luc. 7. n. 4. Valde mirum, deprecantur Seniores Christum, cur non dicunt solita sua clementia, ac benignitate, ut consueta sua beneficentia, qua cunctos illustrat, etiam in presenti impendat huic puero salutem, sed tantum

129. Quilibet diliget gentem suam.

130.

131.

132.

133.

134.

135.

136.

137.

138.



tum dicunt: Diligit gentem nostram, Synagogam ipse edificavit nobis. Notat D. Bonaventura ex D. Augustin. suum amorem non tantum ostendisse verbis, sed etiam operibus: Erant isti Seniores, ac viri prudentissimi, & videbant quod Christus D. ferventi charitate, & amore in suam gentem aestuabat, & inde pro certo apud se statuerunt, quod Christus maxime erat alliciendus ad diligendum Centurionem, & ad desideratam pueri sanitatem condendam ex amore, ac beneficentia impensa in suos, quam ex quolibet alio motivo. D. Aug. de Catechif. rudibus cap. 4. ait: Quilibet diligit diligentes se, diligentesque suos.

133. Cum Iudas Machabæus pararet bellum adversus impium Nicanorem, & esset in magno discrimine, apparuit ei Onias, qui fuerat summus Sacerdos, vir bonus, simul vidit alium virum ætate, & gloria mirabilem, & cum interrogasset, quisnam esset? Respondit Onias: Hic est fratrum amator, & populi Israel: hic est qui multum orat pro populo, & universa sancta Civitate, Jeremias propheta, 2. Machab. cap. 15. n. 14. Qui extendit, & dedit aureum gladium benedictum à Deo; commune tamen dubium est, cur ex omnibus Prophetis solus Jeremias, cur non potius Isaias, Ezechiel, vel Daniel, vel alius: Communis omnium interpretum vox est cum D. Paschal. Ter, qui præ omnibus fuit populi sui eximius amator, qui multum pro ipso orabat, ejusque ruinas maxime lamentabatur, tam intimus impensus, ac sigillatus hic amor populi in Jeremia fuit, ut mors potuerit ipsum ab operationibus sensitivis privare, & videre, & loqui in die, & ambulare, ut amor populi sui ita sigillatus, ac impressus, permaneret, ut posset ipse Propheta interire, quin ejus amor deliquium pateretur imo vivacius revivisceret; nam in vita solum Jeremias orabat, at post mortem non solum Jeremias orat, sed insuper impendit gladium, ad defendendum, & expugnandos, ac destruendos adversarios.

2. Mach. D. Pasch. Amor sui populi intus radicatus etiam post mortem.

Act. 3. num. 25. Vos estis filii Prophetarum, & testamenti, quod disposuit Deus ad Patres nostros, dicens ad Abraham, & in nomine tuo benedicentur omnes familiae terræ. Num. 2. 6. Vobis primum Deus suscitans Filium suum mistreum, benedicientem vobis, ut convertat se unusquisque à nequitia sua.

VERSIONES.

Syrus. n. 25. Et fœderis, quod posuit Deus, &c. Et terræ benedictionem consequentur.

Syrus n. 26. Dum benediceret vobis, si fueritis conversi, & poenitentiam egeritis à flagitiis vestris, &c.

Occumen. Dum convertimini unusquisque à malitiis vestris.

Vatallus. A malitiosis studiis vestris.

Ethiopic. Ut respiscatis à malitia operum suorum.

EXPOSITIO XI.


134. Verf. 25. Os estis filii Prophetarum. Vehemens ad virtutem stimulus, majorum vir-

tus, ne quis ab ea degeneret, & ideo dicuntur filii spirituales Prophetarum in fide, religione, ac doctrina, à qua non debent degenerare, ac in omnibus tenere, & sequi. Et testamenti, Syriacus fœderis, & ita scribit D. Hieronymus lib. qq. Hebraic. in Genes. cap. 17. Ubicumque in Græco legi ut testamentum, ibi est fœdus, seu pactum Hebræ. Hoc autem pactum quod in ipso essent benedicendæ omnes generationes, non solum factum est post sacrificium Isaac, Genes. 22. n. 17. ut vult D. Ambros. lib. de Abrahamo cap. 8. sed etiam in aliis locis, ut Genes. 12. n. 3. & cap. 18. n. 18. ut notarunt Pererius, & Caiet. Filii autem fœderis, seu promissionis divina vocantur Iudæi, ad illos pertinet fœdus principaliter, seu promissio de Christo Iesu vero Messia, sicut & Christiani vocantur filii novi Testamenti, quia ad ipsos virtute sanguinis Jesu Christi pertinent omnia Sacramenta, ac cætera dona contenta in lege gratiæ.

In semine tuo. Quod exponens D. Paulus ad Galatas 3. n. 16. ait: Dicitur esse in semine, & non in feminibus quasi in multis, & quasi in uno, & semini tuo, qui est Christus. Quia nobis salus non in multis, sed in uno solo Iesu filio Abraham, & filio ex posteris ejus. Benedicentur. Iustificabuntur, & salutem assequentur; omnes familiae terræ Benedictio Dei non est tantum verbalis, ut est hominum, sed realis multa, & magna dona secum afferens, utpote beneficium supremi Domini, Deus ad Abraham, Genes. 12. n. 2. Benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum. Sic in multis locis Genes. 26. n. 3. & 26. 2. Reg. 6. n. 11. & 12. Dei benedictio multa dona secum portat.

Verf. 26. Vobis primum, id est primò, ac directè, Missus est Christus ad Iudæos, ut verus Messias promissus eorum Patribus, sic dixit Christus mulieri Chananæ: Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel, Matth. 15. n. 24. Suscitans Alludit D. Petrus ad dictum Moyis: Prophetam suscitabit vobis Deus, D. Chrysof. Occum. ad resurrectionem ex mortuis referunt.

Filium suum: Beda ait: illum ipsum, quem proximè antea vocaverat semen Abrahæ, sic & Lyran. filium intelligit cum relatione ad Abraham, ac fit, Filium ejus: At vero si cum Chrysof. hoc referat ad resurrectionem suscitans, cum ait filium suum intellige filium ipsius Dei, benedicente, hoc est benefaciente vobis. Exclama cum D. Chrysof. O summa, & infinita bonitas! Qui Crucifixus est, suos crucifixores benedixit. Convertat se, ut ejus benedictione fruatur, quæ conversio pendet à nostro libero arbitrio, quia, ut ait D. August. ser. mon. 15. de verbis Apostoli cap. 11. Qui fecit se sine se, non iustificabit se sine se.



CAPUT IV.

- 1. Loquentibus autem illis ad populum supervenerunt Sacerdotes, & Magistratus Templi, & Sadducei.
2. Dolentes quod docerent populum, & annuntiarent in Jesu resurrectionem ex mortuis.
3. Et injecerunt in eos manus, & posuerunt eos in custodiam in crastinum; erat enim jam vespera.
4. Multi autem eorum, qui audierant verbum, crediderunt, & factus est numerus virorum quinque millia.

5. Factum

5. Factum est autem in crastinum, ut congregarentur Principes eorum, & Seniores, & Scriba in Jerusalem.

6. Et Anna Princeps Sacerdotum, & Caiphas, & Joannes, & Alexander, & quotquot erant de genere Sacerdotali.

7. Et statuentes eos in medio interrogabant: In qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos?

8. Tunc repletus Spiritu sancto Petrus, dixit ad eos: Principes populi, & Seniores audite.

9. Si nos hodie dijudicamur in beneficio hominis infirmi, in quo iste saluus factus est.

10. Notum sit omnibus vobis, & omni plebi Israel, quia in nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit à mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus.

11. Hoc est lapis, qui reprobatus est à vobis edificantibus, qui factus est in caput anguli.

12. Et non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub celo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.

13. Videntes autem Petri constantiam, & Joannis, comperito, quod homines essent sine literis, & idiota, admirabantur, & cognoscebant eos, quoniam cum Jesu fuerant.

14. Hominem quoque videntes stantem cum eis, qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere.

15. Jusserunt autem eos foras extra Concilium secedere, & conferebant ad invicem.

16. Dicentes: Quid faciemus hominibus istis? quoniam quidem notum signum factum est per eos omnibus habitantibus Jerusalem: manifestum est, & non possumus negare.

17. Sed ne amplius divulgetur in populum, comminemur eis, ne ultra loquantur in nomine hoc ulli hominum.

18. Et vocantes eos denuntiaverunt, ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Jesu.

19. Petrus vero, & Joannes respondentes; dixerunt ad eos: si justum est in conspectu Dei, vos potius audire, quam Deum, judicare.

20. Non enim possumus; quæ vidimus; & audivimus non loqui.

21. At illi comminantes dimiserunt eos: non invenientes quomodo punirent eos propter populum; quia omnes clarificabant id; quod factum fuerat in eo quod acciderat.

22. Annorum enim erat amplius quadraginta homo, in quo factum fuerat signum istud sanitatis.

23. Dimissi autem venerunt ad suos: & annuntiaverunt eis quæntia ad eos Principes Sacerdotum, & Seniores dixissent.

24. Qui cum audissent, unanimiter levaverunt vocem ad Deum, & dixerunt: Domine, tu es, qui fecisti celum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt.

25. Qui Spiritu sancto per os Patris nostri David pueri tui dixisti: Quare fremuerunt gentes, & populi medicari sumi inania.

26. Aspiterunt Reges terra, & Principes convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus.

27. Convenerunt enim verè in Civitate ista adversus Sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes, & Pontius Pilatus, cum genibus, & populo Israel.

28. Facere quæ manus tuæ, & Concilium tuum decreverunt fieri.

29. Et nunc Domine respice in minas eorum, & deservis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum.

30. In eo, quod manum tuam extendas ad sanitates, & signa, & prodigia fieri per nomen sancti Filii tui Jesu.

31. Et cum orassent, motus est locus, in quo erant congregati, & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & loquebantur Verbum Dei cum fiducia.

32. Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat; sed erant illis omnia communia.

33. Et virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri, & gratia magna erat in omnibus illis.

34. Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant.

35. Et ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebantur autem singulis prout cuique opus erat.

36. Joseph autem, qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis (quod est interpretandum Filius consolationis) Levites, Cyprius genere.

37. Cum haberet agrum, vendidit eum, & attulit pretium, & posuit ante pedes Apostolorum.



ARGUMENTUM.

ETRUS, & Joannes, dum prædicant Christi resurrectionem, incarcerantur, & bis vocati in Concilio, & ibi generosè, ac intrepidè Christi causam agunt, laudantes Deum redeunt ad suos, & novam gratiam, ac robur ab Spiritu sancto accipiunt; Fideles summa concordia, ac unione inter se vivunt, & possessiones promiscuè vendebant, inter quos numeratur Barnabas.

Act. n. 1. Loquentibus autem illis ad populum, supervenerunt Sacerdotes, & Magistratus Templi, & Sadducei.

Nam 2. Dolentes, quod docerent populum, & annuntiarent in Jesu resurrectionem ex mortuis.

Nam 3. Et injecerunt in eos manus, & posuerunt eos in custodiam in crastinum, erat enim jam vespera.

Nam 4. Multi autem eorum, qui audierant verbum, crediderunt: & factus est numerus virorum quinque millia.